

Johann Gottlieb Möller    Hartmann Hermann Müller

**Jesu Gratia Moderante, & Amplissima Facultate Philosophica benevole  
Annunte, Observationum Miscellaneorum Decadem, Ipsos inter solennes  
Nundinarum strepitus, in Illustri, quod Rostochii est, Divinae Humanaeque  
Scientiae Emporio, ad d. XIV. Iunii A. M DC XCIII. Omnibus, qui cum Humanitate &  
Doctrina aliquod habent Commercium, Proponent, & ... Benevole censendam  
offerent M. Joh. Gottlieb Möllerus, Gedanensis & Hartmannus Hermannus  
Müllerus, Grabov. Mecklenburgicus**

Rostochi[i]: Richelius, 1693

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732457718>

Druck    Freier  Zugang



JESU GRATIA MODERANTE,

&

Amplissima Facultate Philosophicâ

benevole Annuente,

76  
24.  
**OBSERVATIO-  
NUM MISCELLANEA-  
RUM DECADEM,**

Ipsos inter solennes Nundinarum strepitus,

in Illustri, quod ROSTOCHII est,

Divinæ Humanæquæ Scientiæ EMPORIO,

*ad. d. XIV. Junii A. M DC XCIII.*

Omnibus, qui cum Humanitate & Doctrinâ

aliquod habent COMMERCIIUM,

PROPONENT,

& æquis rerum æstimatoribus,

qua par est observantiâ,

*Benevole censendam*

*offerent*

**M. JOH. Gottlieb MÖLLERUS,**

Gedanensis

&

**HARTMANNUS HERMANNUS MÜLLERUS,**

Grabov. Mecklenburgicus.



ROSTOCHI,

Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr.



SUMME. VENERABILIS.  
IN. ILLUSTR. ROSTOCHIENS. UNIVERSITATE.  
FACULTATIS. THEOLOGICÆ.

DECANO.  
MAXIME. SPECTABILI.  
SENIORI.

Item.

DUDUM. DE. ECCLESIA. J. C. PRÆCLARISSIME. MERITO.  
atqve. adeo.

INCLUTI. ORDINIS.  
MEMBRIS. SPLENDIDISSIMIS.

VIRIS.

SUMME. REVERENDIS. MAGNIFICIS.  
EXCELLENTISSIMIS. AMPLISSIMIS.  
DOCTORIBUS. &. PROFESSORIBUS. THEOLOGIS.  
PER. UNIVERSUM. ORBEM. ERUDITUM. CELEBRATISSIMIS.  
SECULI. NOSTRI.  
IN. TRADENDO. FIDELITER. FIDEI. ORTHODOXÆ. SYSTEMATE.  
DAMASCENIS.  
IN. DEFENDENDA. FORTITER. ADVERSUS. TOT. HOSTES. VERITATE.  
ATHANASII.  
IN. ERUENDO. FELICITER. SCRIPTURÆ. S. SENSU. HIERONYMIS.  
IN. DECIDENDIS. SOLIDE. DUBBIS. CASIBUS. BASILIIS.  
IN. AUREO. ELOQVENTIÆ. S. FLUMINE. CHRYSOSTOMIS.  
IN. PROFUNDA. SACRÆ. ANTIQVITATIS. COGNITIONE. ELISEI.  
DOMINIS. SUI. PATRONIS. & MÆCENATIBUS.  
OPTIMIS. MAXIMIS.  
PRÆCEPTORIBUS. ET. IN. CHRISTO. PATRIBUS.

FILIALI. PIETATE. ET. OBSERVANTIA. SUSPICIENDIS. DEVENERANDIS.  
— qualemcunqve. hanc. Observationum. Miscellanearum. decadem.  
in. aliquale. animi.

OB. MISCELLANEA. MAGNI. FAVORIS. DOCUMENTA.  
obstrictissimi. Symbolum.

sum. ardentissimo. omnigenæ. in. DOMINO. Prosperitatis.

Et. PERENNANTIS. IN. SC. BENEVOLENTIÆ. VOTO.

Qua. par. est. animi. observantia. consecrat.

INCLUTORUM. NOMINUM.

Cultor. devotissimus.

JOH. Gottlieb. MÖLLERUS.





PROCEMIUM!

**E** Leganter non minus, quam verè, Gregorius, à Nazianzo, Cappadociæ oppidulo, forsàn quia Arianzi, in prædio Paterno, propè Nazianzum, natus erat, & ad sublevandam Patris, Episcopi Nazianzenæ urbis, in Senectute infirmitatem, curam Ecclesiæ illius susceperat, eâ tamen lege, ut Patre Vitâ functo ad retinenda diutiùs gubernacula non cogere-  
retur, (unde Hieronymum de script. Eccl. C. 117. & qui cum eo Episcopum Nazianzenum faciunt Gregorium hunc, ex ipsa ejus epist. 42. & Orat. 8. refutat CL. Cave Script. Eccl. Hist. Literar. p. 139.) *Nazianzenus* dictus, omnem hominum vitam mercatum pronunciavit repræsentare, in quo cuilibet adhuc eas sibi comparare merces concessum sit, quæ vivere ipsum etiam post hanc vitam faciant; finitis siquidem vitæ hujus nundinis nec mercari amplius datum sit; ipsa Præfatus audiamus verba p. 156. ed. Morelli, in Latinum sic translata:

*Nundinas puta esse hanc vitam,*

*si negotiaveris, lucrum: permutatio enim est*

*parvarum cum magnis, & cum caducis æternorum:*

*Si verò prætereant illa, aliud tempus non habes.*

Nec à veritate alienum quid dixerunt, qui vitam imprimis hominis literati nundinis comparârunt. Merces, quæ proponuntur, artes sunt liberales; quotquot celebrantur per orbem Musarum domicilia, tot prostant emporia, quotquot vivunt Doctores, tot rigent venditores, quotquot confluent discendi gratia, tot adsunt emptores; unde Atheniense quondam Gymnasium, mercatum, mercatorem Cratippum, merces artes honestas vocavit Cicero Officiorum L. III. Emitur hic discendo, venditur docendo. Quisquis *Patrem familiæ agere hic vult vendacem, emax ut sit necesse est,* etsi contra Oeconomicam Catonis Regulam: Utenim docendo vendere possit, discendo primùm emere debet, & quò majorem sibi in tempore comparabit thesaurum, eo uberiori sœnore suo eum tempore communicare aliis poterit, ad exemplum laudati jam Gregorii, qui, quomodo spretis reliquis omnibus literariæ solùm mercaturæ se dederit, exposuit ipse, Invect. I. in Julianum de se scribens: *Cætera quisdem omnia cupientibus reliquis, opes, generis nobilitatem, gloriam, potentiam, cæteraque, quæ terrena hujus jactationis sunt, & vana somniis, similis oblectationis: at literarum studium solum, elegantioremq; Doctrinam amplector, atque utinam mihi, amicisq; meis polioris literaturæ robur adfit, quod primùm post id quod principem locum tenes amplexus sum, atque jam amplexor, hoc est post divina & spes ab oculorum sensibus remotas; conf. ipsius, quâ Basilio M. tam intimæ admissiois amico, ut bina corpora, dicente ipso Nazianzeno, una ligaret anima, parentavit, Orationem, & delineatum ibi studiorum apud Athenienses curriculum, quod decurrit*

*Impiger extremos curris Mercator ad Indos*

*Per mare pauperiem fugiens per saxa per ignes.*

Unde &, quas tanto undiq; studio conquisiverant, merces miscellaneas, in commune populi DEI commodum vendere feliciter ambo potuerunt, cum in Columina Ecclesiæ & Lumina tandem evaderent tam illustria, ut Basilii Magni, Gregorius Theologi



ornaretur ab omnibus elogio, qui id obtinuerit, (verba sunt Ruffini Prolegom : in Libb. Gregorii à se versos,) apud Dominum & Ecclesias DEI meriti, ut quicumque ausus fuerit doctrinam ejus in aliquo refragari, ex hoc ipso, quia ipse sit magis hæreticus, arguatur. Sed quorsum hæc! Revocat illa in memoriam præsens nundinarum festivitas, seu viva mercaturæ literariæ, quæ in Amplissimo hoc Divina humanaque Scientia Emporio, (sic enim Academiam Scaliger quondam fertur salutasse) exercetur, imago. Ipsi, qui confluunt in præsentiarum, mercatores, merces suas miscellaneas venum exponentes, ad proponendam iis, qui cum Musis, cum humanitate & doctrinâ habent aliquod commercium, (ut Lib. V. Tuscul. Quæst. loquitur Cicero,) qualemcumq; hanc observationum miscellanearum decadem excitârunt animum, qui tamen non vult docendô vendere, (metiri enim se suô modulô ac pede studet) sed discendô emere, i. e. ab æquis rerum æstimatoribus, quorum doctrinam & humanitatem, quâ par est, veneratur observantiâ, informationem petere, quam ut obtineret eò uberiores, ne prolixior unius tractatio tematis, aliquod crearet tædium, methodo aliquantô liberiori variarum sarraginem materiarum concessit, ut, si non res, rei minimum variatio delectaret; quod ipsum si cognoverit, adspirante supremi Numinis gratiâ, alias quoq; subungere decades, ut campus informationi pateat eò latiores, non intermittet; In quibus tamen conatibus, Augustini (si magnis parva licet subungere) imitandam sibi proposuit modestiam, quâ de loquuntur illa L. I. de Trinit. Non pigebit me, sic ubi hasito, quarere, sic ubi erro, discere, proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certum est, pergat mecum, ubi pariter hasitat, quarat mecum, ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me, ubi mecum, revocet me.

## CONSPECTUS.

I. Tertullianus pronuntians Philosophos-Patriarchas esse hæreticorum, Patronum se potius Philosophiæ, quam hostem exhibuit.

II. Orthodoxi, quo sensu hodiè denominari se patiantur à Luthero Lutherani, jam olim, qui Lutherani erant ante Lutherum, Chrysostronus in Specie, docuerunt.

III. Historia Ecclesiastica Centuriatorû Magdeburgensium, prouti à M. Lud. Lucio fideliter recensita prodiit, non pro Bibliothecâ Theologica Lutherana, (qualis est illa, quæ per Oporinum publicata) sed pro Promptuario errorum Calvinianorum haberi debet.

IV. Bellarminus dum Centuriatores Magdeburgicos dicit esse ridiculos, ipse est ridiculus.

V. Baronius scriptor Annalium, mala fidei postulat à fidei domesticis.

VI. Etsi per Indices Librorum prohib.

& Expurg. Pontificii aditum veritati prohibeant & præcludant, necessariamq; errorum expurgationem impediant apud plurimos, quosdam tamen ex coetu suo ad prohibendum falsitati aditum, & instituentam sollicitam errorum expurgationem papalium, vel per ipsos hos indices infœii impellunt.

VII. Per indices Libb. Prohib. & Expurg. ipsi Pontifices R. dogma de infalibilitate Papæ inter prohibita & expurganda retulerunt.

VIII. Prohibitorii Pontificiorum indices prohibentur ab ipsis Pontificiis.

IX. Ipsos, quos edunt Pontificii, Librorum Prohib. & Expurg. indices accuratâ in multis prohibitionibus & expurgationem indigere, si pro prohibitorii & expurgatorii haberi debeant, optimè ex ipsis indicibus probari potest.

X. Veritas & in hoste Veritatis laudanda.

I. Ter-



I. Tertullianus, pronuncians PHILOSOPHOS PATRIARCHAS ESSE HÆRETICORUM, Patronum potius se Philosophiæ, quàm hostem exhibuit.

**Q**uando Tertullianus L. *de Animâ* c. 3. n. 1. p. 238. ed. Parif. Ludiv. de la Cerda *Philosophos* appellat *Patriarchas hæreticorum*, plurimorū in se odia provocavit, sic, ut pro suō etiam Philosophiæ hoste, vel ob ipsum hoc assertum habitus ab iisdem fuerit. Sufficiat eō nomine ex multis unum adduxisse, Johannem Filesacum, Theologum Pariensem, qui *Selectorum* L. I. C. 19. probaturus prioribus Ecclesia seculis Philosophiam malè audivisse apud Christianos, inter alia provocat ad adducta Patris antiquissimi verba. Ceterum, si accuratius rem paulò consideremus, tantū videbimus abesse, ut hōc suō pronunciatō Tertullianus studia, quæ ad ductum luminis naturæ sobriè instituuntur, Philosophica, rejecerit, ut potius horrendos, qui perversorum vitio hominum turpiter ea fædaverant, abusus, infelicesq; abusuū fructus indicandò, debitæ suæ rectitudini feliciter eadem restituere allaboraverit. Scilicet Tertullianū ipsum, uti multiplici fuisse imbutū eruditione novimus, sic, ut non malè de eō Vincentius Lirinensis *Commonit.* C. 24. p. 345. *quid hōc Virò doctius, quid in divinis atq; humanis rebus exercitatus, nempe omnem Philosophiam & cunctas Philosophorum sectas, auctores assertoresq; sectarum, omnesq; eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mirà quādam mentis capacitate complexus est;* ita nec hostem fuisse studiorum, ad instructum luminis naturæ debita ratione conformatorum, abundè didiscimus quando in L. de *idololatriâ* hanc sibi formantem



objectionem cum responsione conjunctam audimus: *Scimus dici posse, si docere literas DEI servis non licet, etiam nec discere licebit. Et quomodo quis institueretur ad prudentiam interim humanam, vel ad quemcumq; sensum vel actum, cum instrumentum sit ad omnem vitam literatura? Quomodo repudiamus secularia studia, sine quibus divina esse non possunt. Videamus igitur necessitatem literariae eruditionis, respiciamus eam ex parte admitti non posse, ex parte vitari.* Quando interim idem, qui & ipse philosophicis imbutus erat studiis, & iisdem alios quoque imbui vult, Philosophos Patriarchas haeticorum appellat, respicit unice ad homines Paganos, qui naturali non bene usi lumine ingentem absurdissimarum, de Deo imprimis rebusque divinis compilarant farraginem opinionum, iisdemque excœcatis hominum mentes sic occupaverant, ut, quamvis Christianismo nomen darent, non tamen erroneas, quas ex impuris paganismi lacunis hauserant, doctrinas abjicerent, sed normæ potiùs locò haberent, ad quam vel ipse Christianismus conformari posset ac deberet; quâ ratione non poterant non novæ in Ecclesiâ Christi disseminari hæreses, quarum patres quasi existerent, qui perverfas à perverfis suis Doctoribus acceptas opiniones invehere in Christianismum conabantur; ipsi verò quasi Patriarcha, qui primi lumine naturæ abusi, absurdos sibi rerum conceptus finxerant, aliisque inculcaverant. Audiamus Tertullianum eundem, eleganter semet de prescriptionibus adversus hæreticos sic explicantem: *Ea est materia sapientia secularis, temeraria interpret divina natura & dispositionis. Ipse denique hæreses à philosophiâ subornantur. Indè aones & forma, nescio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum; Platonius fuerat. Indè Marcionis Deus melior de tranquillitate, à Stoicis venerat; Sicut anima interire dicatur,*



ab Epicurais observatur. Et ut carnis restitutio negetur, de unâ omnium Philosophorum scholâ sumitur. Et ubi materia cum Deo aequatur, Zenonis disciplina est; & ubi aliquid de igne Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eadem materia apud hereticos & Philosophos volutantur, iidem retractatus impli- cantur. Quid quod ipse, quem vindicamus, eruditissimi Pa- tris locus, de sana Eius mente testetur haud obscure, si inte- ger exhibeatur, habet autem se ita: At utinam nullas haereses oportuisset existere --- Nihil omninò cum Philosophis super a- nima quoque experiremur, patriarchis (ut ita dixerim) heretico- rum. Proinde enim & anima ratio propter philosophatas do-ctrinas hominum miscentes aquas vino; alii immortalem ne- gant animam, alii plusquam immortalem affirmant, alii de substantia, alii de forma, alii de unaquaque dispositione discep- tant, hi statum Eius aliunde deducunt, hi exitum aliorum ab- ducunt, prout aut Platonis honor, aut Zenonis vigor, aut Ari- stoteles tenor, aut Epicuri stupor aut Heracliti maror, aut Empedo- clis furor persuaserunt. Ad quæ clarius illustranda facient quoque illa Lipsii Philosoph. Stoic. l. I. Diff. III. scribentis: Scias primis illis Ecclesia temporibus fuisse, qui Christum ore assume- rent, & Platonem animo non exuerent? Qui miscerent etiam dogmata, & sacra illa profanis pravâ subtilitate temperarent. Inde errorum rivi & haereses, & jure merito Patres in hos tales incurvant. Ipsum alias Tertullianum prudenter didicif- se in paganorum etiam Philosophorum placitis, bona, quæ cum lumine naturæ concordabant, à malis, quæ à regulâ illâ deviant, discernere, patet vel ex adducto hoc de ani- mâ, L. ubi, antequam Philosophos hereticorum nominet Pa- triarchas, planè, inquit, non negabimus, aliquandò Philosophos juxta nostros sensisse, testimonium est veritatis, etiam eventus ipsius, nonnunquam & in procellâ confusis vestigiis cæli & fre- ti aliquis portus offenditur prosperò errore, nonnunquam & in tenebris



tenebris aditus quidam Exitus deprehenduntur cæcâ felicitate, sed Naturâ plerâq; suggeruntur quasi de publicò sensu, quò animam Deus dotare dignatus est. Hunc nacta Philosophia ad gloriam propria artis inflavit præ studio (non mirum, si istud ita dixerim) eloqvii quidvis struere atq; destruere eruditi, magisq; dicendò persuadentis, quàm docendò &c. Sed fufius hâc de re D.V. alibi. Patere interim vel ex paucis his arbitramur, Tertullianum, dum monstrosas opiniones, quas pagani introduserant Philosophi, quasque in Ecclesiam invexerant perversis horum imbuti principiis hæretici, ipso mali fonte ostenso, detegit, atqve ab iis Philosophiam purgat, ut nitori suo pristino restituatur, Patronum potius Studiorum ad luminis naturæ ductum conformatorum, quàm hostem agere, perinde ac optime de metallis mereri dicuntur hi, qui à scoriis illa purgant. Conferatur, si placet B. Parens, Pastor, dum viveret, ad Ædem D. Jobannis apud Dantiscanos, M. Salomon Möllerus, in Diff. de Philosophia Theologia Ancillante, in ipsâ hac quondam Academia Eruditorum censuris subjecta, circa finem, ubi quomodo aliorum etiam, quæ primo videntur intuitu duriora, Patrum de Philosophia dicta, commode explicari possint, docuit.

II. Orthodoxi, quo sensu hodie denominari se patiuntur à LUTHERO LUTHERANI, jam olim, qui Lutherani erant ante Lutherum, Chrysostomus in specie, docuerunt.

Q Vandò hodiè orthodoxi à *Luthero Lutheranos* denominari se, discretionis gratiâ patiuntur, nomen tamen hoc neutiqvam Magisteriale, seu Doctrinæ



næ qvæle est id, qvando à *Christo* dici volunt *Christiani*; sed ministeriale tantum, seu Confessionis & differentia esse concedunt, indicaturi scilicet confessores sese esse antiqvæ veritatis Evangelicæ, auspice DEO per ministerium D. Lutheri è tenebris Papalium, noviter in Ecclesiam introductorum errorum, spississimis, in lucem pristinam vocatæ; perinde ac invictos Catholicæ in Ecclesiâ antiqvâ confessores fidei ab Arianis *Athanasianos, vel Ambrosianos, vel Johannitas* salutari se permisisse norunt (v. Cave. Hist. Lit. p. 101. 149. 176.) qvòd Athanasius, Ambrosius & Johannes, ab aureò eloquentiæ flumine dictus Chrysostomus, (qvos omnes cum suis in veritate Parastatis ob consensum cum doctrina Lutherana, *Lutheranos ante Lutherum* meritò vocare licet) antiqvam contra periculosas hæreticorum novitates veritatem masculè præ ceteris sic defenderent, ut *vita ipsorum morumq; ratio Episcopatus norma esset, dogmata eorum pro fidei orthodoxæ lege haberentur*, uti de Athanasio loquitur Sozomenus. Qvòd si verò ex nomine ministeriali magisteriale fabricare velint hodierni, qvòcunq; demū veniant nomine veritatis impugnatores, existimantes, qvòd ipsa, qvæ sic appellatur, religio Lutherana, vel ex eorum, qvi Lutheranorum denominationem non respuunt, iudicio, statuatur cum Luthero primùm nata, inqve ejus unicè auctoritatem resolvatur, protestantur cum ipso suo Luthero (vide Lutherū hoc sensu Lutheranorum à se denominationem improbantem T. II. J. G. f. 69. b. 92. a. 98. a. & T. III. J. G. f. 105. a.) contra iniquam vocis interpretationem Protestantes, nec aliud causæ suæ qvæerunt præsidium, qvàm qvòd laudatus suppeditat Chrysostomus, dum & antiqvos fidei catholicæ Confessores, & hodiernos antiqvæ fidei Professores, i. e. Lutheranos qvoad doctrinæ orthodoxiam omnes Homil. 33. in Acta contra omnia malevolorum scommata



ta sic defendit: Illi (hæretici) habent quosdam à quibus appellan-  
 tantur, prout enim hæresiarcha nomen, ita & secta vocatur. No-  
 bis autem nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa--- Numquid scin-  
 dimur ab Ecclesiâ? Num hæresiarchas habemus? Num ab ho-  
 minibus cognomen habemus, videlicet ceu ab Auctoribus nova  
 doctrina? Numquid nobis Dux quidam est, sicut illi Marcion,  
 & illi Manichæus, huic Arius, alteri verò alius hæreseos Dux?  
 Quod si verò & nos agnominacionem cuiusdam fortimur, nem-  
 pe si fortè Athanasiani & Ambrosiani dicimur, non ut ab hæ-  
 resum Principibus, sed ut ab illis, qui præsumt nobis, & guber-  
 nant Ecclesiâ, nuncupamur. Alioqui non habemus Docto-  
 res super terram, absit, unum habentes & solum, qui est in cælo.  
 Quo sensu Lutherum Lutheranorum à se denominationem  
 non rejecisse sed potius defendisse, patet ex T. II. J. G. f.  
 104. a. b. & T. VI. J. G. f. 315. b. 316. a. 327 b. ubi expresse uti-  
 tur phrasibus: Wir Lutherischen / die Lutherischen &c.

III. Historia Ecclesiastica Centuriatorum  
 Magdeburgensium, prouti à M. Lud.  
 LUCIO FIDELITER RECENSITA prodiit, nō  
 pro Bibliotheca Theologica Luthera-  
 na, (qualis est illa, quæ per OPORINUM  
 PUBLICATA) sed pro Promptuario Erro-  
 rum Calvinianorum haberi debet.

**I**lla totius Christianæ antiquitatis bibliotheca; (quo titulo  
 commendatur à celeberrimo Spanhemio introduct. in  
 H. E. N. T. p. 116.) Ecclesiastica scilicet Historia per ali-  
 quot studiosos & pios Viros in urbe Magdeburgicâ congesta,  
 quemadmodum, prout edita est Basileæ per Johann. Opori-  
 num, ob digressiones Theologicas, pro eâ quidem temporū  
 ratione



ratione accuratè satis adornatas, omnis etiam scientiæ Theologicæ purioris bibliotheca salutari haud immeritò potest; sic, prout denuò per M. Ludovicum Lucium Basileensis Academia Professore[m] fideliter recensita Basileæ 1624. prodiit, malâ adeò fide publicata est, ut non pro orthodoxæ veritatis promptuario, sed heterodoxiæ Calvinianæ bibliotheca sat instructa possit haberi. Non dicemus de perversione tituli, dedicationum, præfationum, & ipsius historiæ; sed corruptæ solùm orthodoxiæ specimina quædam, eaque ex primâ Centuria deprompta historicè recensibimus. Quando Centur. I. lib. I. Cap. IV. Col. 120. genuina editio tradit hæc: *Excuti fidem semel conceptam, & amitti rursus posse ex multis exemplis & dictis Christi planum est, eandemque thesin plurimis & dictis & exemplis N. T. probat, tota hæc tractatio à Lucio l. c. col. 92. omittitur. Quando Oporinus loc. cit. col. 162. exhibet sequentia, ubi agitur de Cœnâ Domini: Copulantur igitur panis & corpus Christi, deinde vinum & sanguis Christi: ac ita sanciantur, quòd perpetuò, quamdiu scilicet hæc actio durabit in Ecclesiâ, ista memoria debeant esse nota, nec ab ullâ creaturâ variari. Utitur quoque rotundis & simplicibus verbis Christus. Non dicit: Edite panem, significantem meum corpus: sed, edite hoc est corpus meum, item: Bibite, hic est sanguis meus, non dicit: Vinum est typus seu significatio mei sanguinis, aut Symbolum, quòd meus sanguis alibi existens tantum suâ dignitate, potentiâ & efficaciâ vobis adsit. Lucius sic ea pervertit col. 123. Copulantur igitur hic SACRAMENTALITER panis & corpus Christi; deinde vinum & sanguis Christi; & ita sanciantur, quòd perpetuò, quamdiu scilicet hæc actio in Ecclesia durabit, ISTÆ MATERIÆ DEBEANT ESSE NOTÆ, nec ab ullâ Creaturâ variari; reliqua penitus sunt omissa. Quando apud Oporinum col. 162. reperiuntur illa: Sumtionis ratio est ore vesci pane & cor-*



pore Christi, sicut expressa & clara verba Christi docent: item ore bibere vinum & sanguinem Christi, sicut verba ejus clarè testantur; hæc tantum habet Lucius col. 123: Sumtionis ratio est ore vesci pane, itemq; ore bibere vinum; sicut verba Christi clarè testantur. Cum Auctores genuini col. 164. in mysteriò Cœnæ profitentur, non esse dubium, quin ea, quæ locutus sit Christus, etiam fiant Spiritu, h. e., arcanò modo & rationi incomprehensibili, fingit Lucius col. 125. dixisse hos: Non esse dubium, quin ea, quæ locutus sit Christus, etiam fiant Spiritu, h. e., fide & efficaciâ Spiritus S. Ubi col. 164. inter Contraria Cœnæ recensent Centuriatores apud Oporinum Corpus & sanguinem Christi ex hac actione tollere, inq; alium locum collocare, quasi ibi tantum elementa adsint, significantia corpus & sanguinem absentem, solâq; virtute ibi presentem; Lucius inter Cœnæ contraria numerare ipsos ait col. 125: Corpus & Sanguinem Christi ex hac actione tollere; quasi tantum ibi elementa adsint, significantia corpus & sanguinem omnimodò absentem. Ubi in opere non corrupto per IV. columnas de C.

53-57. VI. Joh. instituitur disceptatio, penitus eas omittit Lucius col. 125. Cum col. 330. sensus literalis & proprius in verbis institutionis Cœnæ urgetur in edit. antiqvâ, recentior ea omnia præterit. Ubi col. 330. & 331. duobus §. probatur: Judæ Cœnæ interfuisse; falsatum exemplar ne literam exhibet. Et, ut ex librò 2. Cent. I. unicum modò proferamus exemplum ex infinitis; quandò col. 356. primum exemplar habet hæc: Testantur gravissimi lapsus S. S., post baptismum adhuc in iis manere malum originis, proferens malos fructus. Nam Ananias & Sapphira post baptismum mentiuntur Spiritui S. posterior Editio sic ea immutat col. 274. Testantur etiam exempla; hypocritas & vera fide carentes baptismi fructum non percipere, nam Ananias & Saphira &c. Reliqua brevitatè causâ omittimus, reservantes ea peculiari differt. D.

V. in



V. in quâ omnimodam & Historiarum & dogmaticarum depravationum detectionem exhibebimus, si, quem dedimus prægustum, haud adeò fuisse ingratum cognoverimus.

#### IV. Bellarminus, dum Centuriatores Magdeburgicos dicit esse ridiculos, ipse est ridiculus.

**R**idiculus omninò est Bellarminus, quando illa Centuriatorum Magdeb. Cent. 1. L. 2. C. 6. col. 497: *nec de nominum in Baptismò impositione mentionem fieri legas (ætate Apostolicâ) Nam Eunuchus tam post baptismum, quàm ante, Eunuchus appellatur Aët. 8. Sc. sub censuram vocans, ridiculus, inquit, sane fuit Illyricus, quò ex eò probat Apostolorum tempore non fuisse in usu hanc ceremoniam, (nominis scilicet in baptismò impositionem) quia Eunuchus Reginae Candacis Aët. 8. semper vocatur Eunuchus, tam ante baptismum, quàm post: quasi Eunuchus sit nomen proprium personæ, & non potius designet vitium corporis, quòd sane baptismò tolli non potest.* Flacium enim vocem Eunuchi pro nomine personæ propriò habuisse, ex adductis ejus verbis (quæ id solum volunt, inde, quod aulicus à Philippo baptizatus non speciali quodam nomine, sed iisdem planè, nec ullis aliis designetur in textu S. titulis post acceptum baptismum, quàm quibus describitur ante eundem, colligi posse, nominum in baptismò impositionem eò nondum in usu fuisse tempore.) majori vix probare poterit Cardinalis fundamentò, quàm quò probare poterimus nos, idem cum Illyrico hic ipsum sensit Bellarminum, inde, quia L. III. de Cultu S. S. p. 1429 scripserit. *Eunuchus, Æthiops, ex longinquà regione veniebat adorare in Jerusalem.* Quæ verò



Flacii, quò cum nominatenus disputare hic voluit Cardinalis, de voce hâc fuerit sententiâ, in *Clave scripturae* P. I. col. 284 declarat, *Eunuchum*, inqviens *aliquando putant per catachresin significare potentem aulicum, etiam non exsecutum-- Talis fortè fuit Candaces Reginae Æthiopum Eunuchus AEt. c. VIII. non igitur semper castratum, sed saepe officium significat.*

## V. Baronius, Scriptor Annalium, malæ fidei postulatur à fidei domesticis.

**A**udiamus hanc in rem Antonium Godavium Episcopum Gallum in præf. Hist. Eccles. scribentem: *Accusatur ab ipsis orthodoxis Baronius, quòd scriptis utatur supposititiis tanquam veris; quòd erret sæpiùs circa antiquitates Romanas & in Chronologicis, quòd confundat Epocham Dionysianam cum verò annò Nativit. Christi; quòd longiùs persèpe digrediat, quòd in primis summorum Pontificum causam liberalius agat, eorum auctoritatem ultra debitos limites extendat, eam quibuscunq; documentis suffulciat, nullò discrimine controverforum à non controverfis, supremarum in terris potestatum depressâ nimis auctoritate.* Jacobus quoque Peronius in posthumis sub voce *Baronius*: *bonus, inquit, homo (sic de Cardinali Cardinalis loquitur) multis in locis historia sua deceptus fuit, magni in eâ parachronismi, in infinitis locis fallitur, minimè est exactus, adducente Ottiò Præf. Anti-Baronii.* Quid? quod *Critica Historico-Chronologica in Annales Ecclesiasticos Baronii*, quam haud ita pridem orbi erudito exhibuit Antonius Pagi, *illustrationem historiae*, (ut habent præfationis verba) *rerum prætermissarum supplementum, & Chronologia emendationem* ad detegendos nævos Baronianos nobis sistat; *Quemadmodum ingenuè in dedicatione fatetur Auctor: jam dudum, inqviens, Viris doctis animadversura--- Annales Ecclesiasticos à Baronio inclytò eorundem*



*rundem Parente, Herculeò labore elucubratos--- supplementò,  
 illustratione ac emendatione variis in locis indigere. Specialia  
 producere exempla errorum tam historicorum quàm  
 dogmaticorum, quos ipsimet notarunt Pontificii, Valesius  
 in specie & alii, chartæ vetat angustia. Fiet id forsan occa-  
 sione alia D. V. Sufficiat nunc de gravi censurâ, quàm Tom<sup>9</sup>  
 XI. Annalium, Regis Hispaniarum auctoritate passus est,  
 quâ & à dignitate Papali, ad quam 37. votis jam erat electus,  
 excludebatur Auctor, audire illa Gramondi Hist. Gall. L. 1.  
 p. m. 10. eòdem annò (1610.) prodit Cardinalis Baronii Annal.  
 Tom. XI. in quò Hispania Regibus negat esse in Siciliam jura, qua  
 lia possident. Proscribitur edictò Regis Catholici Opus, ipseq; Au-  
 ctor non multò post factione Hispanâ excluditur à primâ sede,  
 ad quam virtute & suffragiis vocabatur. Ipsum Philippi II.  
 Regis Hispaniarum edictum Samuel Basnagius in Exer-  
 cit. Historico-Criticis exhibet tale in dedicat: Ad nos perla-  
 tum est. C. Baronium olim S. R. E. Cardinalem--- longâ & pro-  
 lixâ dissertatione verbis & rationibus nunquàm a quibus & mode-  
 stis, --- aggressum non modò in suspicionem adducere, sed etiam  
 falsos & injustos & violentos titulos & origines evincere, qua-  
 rum ope decessores nostri Reges Sicilia simul cum dominio regæ-  
 les & prerogativas acquisiverint--- Itaq; constituimus, nemi-  
 ni, cujuscunq; sit dogmatis--- T. XI. cum dissertatione illâ ad-  
 versus dictam Monarchiam exponere, habere, vendere, & in  
 regnis nostris & ditionibus emptitare liceat, multa primò delin-  
 gventi quingentorum aureorum irrogata. Nequè in verbis  
 solùm, sed factò etiam ipsò hunc se exseruisse rigorem,  
 eventus docuit, dum scriptum hoc in Hispaniâ publicè car-  
 nificis manu exustum, & bibliopola Neapolitanus, venun-  
 dans exemplaria, ad remos damnatus est, prouti ex Per-  
 ronio probat Magnificus Summeq; venerabilis D. D. Mayerus  
 in Comment. de Elect. R. P. p. 122. Obsignabimus hæc memo-  
 rabili*



rabili iudiciô F. Pauli Sarpîi Veneti, qvòd de Baroniô in epistolâ ad Js. Casaubonum qvondam tulit : (cujus MSC. in exqvifitissimâ servat bibliothecâ incomparabilis Theologus D. D. Kortholtus, qvi pro summo suo in tenuitatem nostram favore id qvondam communicavit) *Qvòd in Baronium scribere paras, gaudeo & pergere hortor, licet illum antagonistam dignum te non putem. Sape ipse mecum animò volutavi, qvid cause esset, cur in magnâ existimatione apud plerosq; sit absq; ullò suo merito, nè dicam absq; ullâ culpâ; cùm qvid in tam magnò opere laudandum foret, videre nequirem. Nulla pars est, quæ confutari non possit solò ad miniculò eorum, quæ ab eòdem proferuntur. Nullus est parvi vel magni nominis Historicus, qvem non sape commendet, sepius confutet. Mitto adulterina & detorta testimonia, prolixitatem maximè fastidiosam, & iudicia perversa ac insulsa, quæ nemo in historiâ ferre potest. Pedagogiam in Lectores petulanter exercet, qvos singulis passibus intempestivè sislere jubet. Divine providentiæ consilia in bonis distribuendis & malis instigendis ad solius Papatus rationes adstringit. Reliquum, video fortunam bonam illi favorem conciliasse, quæ adhuc illum sequetur, cum tu illius scripta impugnare instituis; nam magni Aeneæ dextra cadet. Cedet tamen in publicam utilitatem opus tuum procul dubio. Verùm qvòd illum fraudis & doli mali convincere paras, vereor, an probaturus sis iis, qvi morum hominis gnarifuerunt. Vellem potiùs levitatis & temeritatis accusares. Ego illum Romæ novi, antequam honoribus manum daret, & pruriginè scribendi tentaretur, cum solius animi tranquillitati & puritati conscientie daret operam. Nunquam hominem vidi simpliciore, qvem univoco verbo tibi exprimam, nullas habebat opiniones proprias, sed eas è conversationibus sine delectu sumebat; quas tamen qvasi proprias & benè perfectas pertinaciter defendebat, donec alias iussus potiùs fuisset, quàm edoctus*



edoctus. Si multi prudentes & cordati fatali poculo ebibitò Spiritu vertiginis circumacti sunt, minimè mirum, si miser unicus purpureis laqueis commune malum effugere non potuit. A dolo malo affuisse crediderim, à levitate & temeritate minimè.

VI. Etsi per indices Librorum Prohibitorum & expurgandorum Pontificii aditū veritati prohibeant & præcludant, necessariamqvè errorum expurgationem impedian apud plurimos, quosdam tamen ex cœtu suo ad prohibendum falsitati aditum, & instituendam sollicitam errorum papalium expurgationem, vel per ipsos hos indices inscii impellunt.

**Q**uamvis dubium nullum sit, quin in hunc usque diem plura longe veritatis testimonia in scriptis Pontificiorum exstitura essent, nisi *indices Librorum prohibitorum & expurgandorum* (qui exhibent Regulam, auctoritate Pontificis R. juxta decretum Concilii Tridentini Sess. XIIIX. & XXV. à *Congregatione Indicis*, seu Viris ad id peculiariter destinatis confectam, omnibusque Pontificiis sub atrocissimarum comminatione pœnarum præscriptam, secundum quam omnes cujuscunqve ætatis, auctoris, vel thematis libri, Romanæ Curix placitis contrarii, vel *prohibentur* penitus, vel *expurgantur*, i. e. vel adjectis notis infamantur, vel immutatione, subtractione, additione &c. corrumuntur, ad stabiliendos errores Papisticos &

C

&amp; ap-



& opprimendam veritatem modis omnibus) omnem ferè tam agnoscendæ, quàm manifestandæ veritati præcluderent aditum, ut suo firmat exemplò M. A. de Dominis *professionis consilium* exponens n. 3. Certum tamen est, multos prudentiorum vel ex rigorosissimò tali interdictione ad desperatam Papatus causam sub ipso Papatu agnoscendam, sicquè ad prohibendum imposterum falsitati deprehensæ aditum, & instituendam omnimodam errorum expurgationem, per ipsos etiam prohibitorios & expurgatorios indices impelli, id quod suo laudatus antè Vir celeberrimus firmat exemplò l. c. num. 4. Fateor, inquit, *igniculos me perpetuò interni Spiritus sensisse, quibus tamen resistebam, acquiescere verò planè nunquàm potui, nequè à vehementi suspitione penitus me liberare, quam augebat tam exacta, tamquè rigorosa, & domestica, & Romana diligentia, qua cavere oculatissimè perspiciebam, ne libri Romana doctrina contrarii à quòquam teneantur, vel perlegantur. Vulgo enim eos meritò prohiberi censebam: ne vulgares homines iudicio & discretione destituti, falsitatis imbibendæ periculis exponantur: Quod verò studiosis, & optimè erga catholicam fidem affectis, & sanà doctrinà pollentibus, penitus auferrentur, suspitione rem non care, ut ratio meritò dicitur, semper sum arbitratus. Cùm præfertim, etiam post peracta plenè Theologica studia, post assumptos gradus in Theologiâ, post promotionem etiam ad Episcopatus, copiam vobis talium librorum fieri, nullò modò Romana Curia patiatur. Crescebat suspicio, quod Magistri ipsi & Professores in tractandis publicè, sive voce sive scriptò, controversiis, omninò velint fidem sibi adhiberi. Adversariorum dicta & sententias illas esse, quas ipsi referunt: Auditoribus verò nullò pacto, excommunicationis injectò terrore, ut legant ipsa adversariorum scripta, permittatur: in quibus abscondendis, suppressendis, perdendis, ad eò laboratur, ut hoc ipso latere aliquid in*  
illis



*illis liceat suspicari, cui confellendo doctrina nostra non sus-  
ficiat.*

## VII. Per Indices Librorum Prohibitorum & Expurgandorum ipsi Pontifices Ro- mani dogma de Infallibilitate Papæ in- ter prohibita & expurganda retulerunt.

**I**llustri id probat specimine Petrus Svavis Polanus (s. Paulus Sarpus) L. VI. Hist. Conc. Trid. p. 428. dum *Erasmi Annotationes in N. T.* à Leone X. approbatas solen- niter, à Paulo IV. autem damnatas fuisse his tradit verbis: *Clausulâ generali* (describit indicem à Paulo IV. editum) *ve- santur libri omnes, qui non praserunt nomen Auctoris ab anno M. D. XIX. scripti, quò nomine multi Auctores & libri damnan- tur, quos totis CCC. CC. & C. annis literati omnes in Ecclesiâ R. manibus versabant, Pontificibus R. consciis, nec contradicenti- bus, tanti temporis spatio. & Novitiis etiam damnati nonnulli in Italiâ ipsâ, imò Roma excusi, inquisitione approbante, imò per diploma suum Pontifice. Quo ex genere sunt Erasmi Annota- tiones in N. T. ab Leone X. posteaquàm eas evolvisset, approbatæ diplomate datò Romæ X. Septembris anno M. D. XLIX.*

## VIII. Prohibitorii Pontificiorum Indices prohibentur ab ipsis Pontificiis.

**H**oc ut probemus, non est, quod Autorem, Pontificiis exosum, Sarpium, proferamus in medium, præ- ter elegancia multa, ad rejectionem stultæ prohi- bitionis facientia L. VI. p. 429. Hist. Conc. Trid. Romanæ mysteria Curiaë sic revelantem & reprehendentem: *illud super omnia notabile, quòd fidei ac religionis prætextu pari se- veritate interdicuntur, damnanturque Auctores librorum,*



quibus auctoritas Principum & Magistratus civilis contra illicitas Ecclesiasticorum usurpationes defenditur; aut potestas Conciliorum & Episcoporum Curiae Romanae iniustis occupationibus vindicatur; aut denique illorum hypocrisis & tyrannus, quibus furor religionis imponitur populo, aut vis affertur, liquidò deteguntur. In summâ, nunquam arcano tam praecellenti religio ad dementandos homines adhibita; sed provocamus potius alios inter ad Theophilum Raynaudum, qui in erotematibus de malis ac bonis libris, deque justâ aut iniustâ eorundem confixione (quò eqvidem scriptò de ratione censurarum nimium liberè locutus, se ipsum censori fecit Romæ, ut Galli loquuntur eruditi T. III. Ephem. VI. p. 71. ed. Lat. vid. indicem Alexandri VII. p. 126. b; licentiam tamen, posteaquam, quæ censoribus displicuerant Romanis, expunxerat, idem publicandi accepit, & Lugduni quoque anno 1653 edidit,) circa clausulam operis sub titulò: *Sicera merentibus & Vinum iis, qui amarò sunt corde, sive Auctor, cujus liber confixus fuerit, quibus verbis vel vocibus hunc dolorem lenire possit, quando p. 324. docet: Unde captanda animi delinitio in indignâ libri confixione, sive inde prodierit, ubi nullâ configendi potestas, sive inde, unde justa prodire poterat, & expectari debebat, plurima impeditat, quæ indicum memoratorum auctoritatem extenuant, uti vel ex titulis, brevitas causa tantum memoratis, patet. Audiamus etiam Gallos eruditos Censorium illud decretum 84, quo à congregatione indicis, de concordia Sacerdotii & Imperii, seu de libertate Ecclesie Gallicane liber, à Stephanò Balutiò impressus Parisiis annò 1663, perperam adscriptus Petro de Marca, ex cujus retractatis scriptis, aliorumque erroris sententiis opera præfati Balutii editus est; & Johannis Launou Parisiensis Theologi censura responsionis prohibentur, (vid. indicem Alexandri VII. p. 28 & 292) in ephemeridibus suis annò 1665. p. 12. ed. Lat. in Censuram vocantes h. m. Cum Romana Curia suas semper visitationes exerceat, non ad eò necessarium erit de censuris ejus anxie esse sollicitum, id quod causa etiam est, cur decretum hoc impedire nequeat, quo minus in magnò semper, ut antea, pretiò habeatur de libertate Ecclesie Gallicane à B. de Marca editus liber --- Pari modò non minoris erit propterea sinceritas Balutii, licet in illò decretò falso affecti libri nomine de Marca accusetur. Apparet enim, congregationem hoc remedio eam solùm ob causam esse usam, quod non fuit ausa directè aggredi memoriam magni illius Archi-Episcopi, persuadens sibi facilius esse infamare ejus librum, substitutò in ipsius locum aliò minus in Ecclesiâ dignitate conspicuò. Nequè propter eandem rationem censura*



*sua illa impediēt, quin Launoi liber ubique semper approbetur, quoniam notum est, eum censuris non esse subjectum, nisi quod ordinaria jura contra prætensa privilegia, & exemptiones ordinum monasticorum optimè defendit. Sepositâ interim Archi-Episcopi auctoritate, ut obiter id notemus, directè etiam memoriam P. de Marca aggressam esse indicis congregationem patet ex indice Alexandri VII. p. 28. a. ubi immediatè præcedunt verba superius adducta hæc: De concordia Sacerdoti & imperii, seu de libertatibus Ecclesie Gallicane liber Auctore P. de Marca, quæ repetuntur p. 248. & 250. l. c. ubi & prohibetur alius ejusdem Auctoris liber inscriptus D. Hyacintho Mesades Archi-Diacono Emporitano Ecclesie Gerundensis v. & pag. 64. 85. 101. Addatur Ludovicus Ellies du Pin in Diff. Hist. de antiquâ Ecclesie disciplinâ p. 97. ubi, quò animò fulmina curiæ Romanæ exceperint Galli, indicaturus, istorum (P. de Marca & aliorum pro libertate Ecclesie Gallicanæ pugnantium) inquit, libri, ut fieri solet à Romanis damnati, à nostris Episcopis propugnati sunt.*

**IX.** Ipsos, quos edunt Pontificii, Librorum Prohibitorum & expurgandorum indices, accuratâ in multis prohibitionè & expurgatione indigere, si pro prohibitoriis & expurgatoriis haberi debeant, optimè ex ipsis indicibus probari potest.

**S**cilicet, si scopum obtingere suum nefanda Papistarum audacia debeat, necesse est, ut prohibitorii & expurgatorii, quorum divulgatio tam sollicitè commendatur, indices, consignatos accuratè exhibeant Auctores & titulos librorum, qui vel prohibentur, vel expurgantur. Horum enim sufficiens Cognitio si hauriri plenè ex indicibus nequeat, pro prohibito vel expurgando haberi potest facilè, qui talis non est, & pro concessò, qui tamen anxie prohibetur. Hinc est, quod accurata scriptorum, quæ in Catalogos hujusmodi referendi sunt, lectio, & diligens Auctorum, titulorum, &c. sub quibus innotuère libri, consignatio, iis qui congregationi indicis interfunt, Papali, i. e. infallibili ipsis auctoritate injungatur v. *regulas indicis Tridentini, & Instructionem Clementis VIII.* Quàm turpiter verò contra illa præcepta peccatum fuerit, ipsi, qui in manibus omnium versantur, indices nos docent, in consignandis Auctorum nominibus mox fluctuantes, mox sic aberrantes, ut nullus unquam sub illo nomine existerit scriptor, sub quò ipse prohiberi vel expurgari jubetur. Adjiciemus ex innumeris quædam



eaque illustriora saltem specimina: *Alta & Scripta Theologorum Württembergensium & Patriarche Constantinopolitani Jeremie.* in VII. diversis indicum editionibus, & inter has in unicâ, quæ Alexandri VII. jussu prodit, septies, (quod argumento est nullum hic vitium typi adesse) nempe p. 2. a. 10. b. 28. b. 65. b. 118. a. 126. b. 135. b. *Wittenbergensibus* Theologis adscribuntur, forsitan ad stabiliendam papali infallibilitate septenarii numeri auctoritatem, & augendum argumentorum pro defendendis VII. p. Sacramentis cumulum, ex quibus validissimum & prorsus invictum producturus Schererus in *Postillis Dom. VII. p. Triaf. 499.* hæc habet: Die Gottlosen pflegen was heilig ist / mit Schelten / Fluchen und Lästern zu mißbrauchen / unter andern fluchen sie bey Gottes 7. Sacramenten / keiner bey 2. 3. oder 4. Sacramenten / keiner sagt daß dich Gottes 2. Sacramenta schänden so gar ist es unerhört / das weniger als 7. Sacramenta seyn solten -- und kan man auch aus diesem bösen Gebrauche beweisen / was man sie und allewege von 7. Sacramenten gehalten. Sed redeamus ad propositum. In indice Alexandri VII. auctoritate edito, ex *Keckermanno* fit *Kerkermannus* p. 12. a. 77. b. ex *Benedictò Morgenstern / Morgenester* p. 13. b; ex *Bugenbagiò, Burgenbagius* p. 16. b. ex *Dilherrò, Dillerius* p. 37. a. ex *Flaciò, Flaccus* p. 66. a. 87. b. & *Flavius* ibid. ex *Lobwasserò, Lobwasser* p. 82. b. ex *Simone Gedicco, Gredicæus vel Gedicæus* p. 120. a. ex *Wigandò, Wingandus* p. 135; ex *Philippo Heilbrunnerò* p. 102. b. p. 92. b. *Neilbrunnerus*; & p. 34. b. & 102. a. *Delbrunnerus*, ex *Schneidewinò* p. 6. a. *Schneiduvinus*; p. 25. b. *Shneiduvinus*; p. 117. a. *Schenckdevinus*; p. 67. b. *Schenckdevinus*; ex *Hülsemanno* p. 63. b. & 90. a. *Huselmannus*; p. 73. b. *Husselmannus*; p. 85. prohibetur *M. A. de Dominis Opus de Republica Christiana, item de Republica Christiana it. de Republica Ecclesiastica L. X.* ac si tria distincta scripta essent. In indice, quem edi jussit *Antonius à Sotomajor*, ex *Albertò Graverò* p. 12. a. fit *Gravierus*; ex *Ambrosiò Reundeniò* p. 13. a. *Deudenus*, ex *Schlißelburgiò* p. 228. a. *Scheußelburgius*; p. 231. b. prohibetur: *Claudius Espencæus seu Spekieus*; p. 722. *Martinus Xemmetius vel Chemvitius seu Chemnicus*; p. 776. a. ex *Flaciò* fit *Flacus seu Flaccius seu Flavius*; ibid. ex *Hasenrefferò* fit *Hasenreffer*; ex *Selneccero* p. 804. b. fit. *Selniccerus vel Selneckerus, vel Salneccerus*; p. 884. prohibetur: *Sebastianus Castalio, seu Castellio seu Castallionus, Allobrogus, Sabaudus, Theologus, Lutheranus Augustana Confessionis, & Zwinglianus Professor Basiliensis & Genuensis.* p. 888. b. exhibetur; *Simon Gadiceus seu Gadiceus seu Gedecius seu Gedi-*



*vus seu Gedicus.* Omittimus alia, quia vel ex his abunde patet, ab erroribus hujusmodi purgandos primum esse indices, si illorum beneficiò à veterum librorum sordibus purgari debeat Ecclesia. Equis verò non exhorrescat, si cognoverit Censores R. E. Scriptorum, quæ cenferi debent, ne titulos quidem accurate vel legisse, vel indicibus suis inferuisse, & tamen statuere, eum quovis, qui titulum modo Libri vetiti legerit, fulmine excommunicatorio percuti, uti defendit Dominicus Pueronus *Comm. ad Bullam Censuræ C. 1. §. ac eorundem Libros.* n. 184; vel si perceperit: *Vendentes caseum aut aromata incurrere excommunicationem, retinendo Libros prohibitos, ut eorum foliis involvant caseum vel aromata* ex Ugelini, Graffi, Duardi, Ant. Soufæ sententia apud Bonacinam T. III. Theol. Mor. de Cens. disp. I. qv. II. puncto. 4. p. 10. neque tamen Auctores, vitios vel nomine suo innotuisse congregationi Indicis, vel innotescere aliis ex ipsis indicibus posse didicerit.

### X. Veritas & in hoste veritatis laudanda.

Ingenuis annumerari adversarii meretur Nicolaus Abram, quando S. S. *Questionum* L. X. locum I. Reg. VI. I. exponens, Serario, qui I. Reg. VI. I. pro *quadringentesimo* legi *sexcente simum*, at Act. XIII. 20. retineri vult lectionem, quæ habet: *Quadragesimos & quinquaginta annos*, vel ideò, ut Lutheri (cujus conjectura in versione & adjectâ notâ marginali videri potest Act. XIII. 20.) contradicat, (sic enim apud Abramum l. c. p. 260. *Illud omittere non possam, quod mihi non mediocriter arridet in hac sententia, sic hereticos magis declinari, qui tam confidenter in Asta grassantur, ut Lutherus.*) hæc inter cetera opponit p. 769. b: nequè quicquam est, cur hoc locò tibi de tuò ab hereticis dissidio magnoperè blandiàre. Non enim solus Lutherus reliquosq; grex impiorum, sed etiam Sajatanus aliisque apprimè catholici, pro quadringentis trecentos in Græco sexto reponendos esse, censuerunt. *Quamquam quæ est ista ratio? Ita sentiunt heretici, igitur contrarium sentiantur.* Dicamus animam esse mortalem, quia Novatores immortalem esse defendunt; unum illi Deum se credere dicunt, nos dicamus contrarium; sic enim magis declinamus hereticos, illi baptismum admittunt: nos repudiamus, ne cum hereticis sentire videamur. *Sparta Vir nefarius utilem Resp. prosulerat sententiam: Placebat illa, sed auctor displicebat, ergò quasi bonum liquorem à vase occupatò in sincerum transfunderent, eandem sententiàm à bonò cive, verbis, haud scio, an iisdem proferri voluerunt, quem universa Resp. sequeretur.*

mut




mur, displicet tibi Lutherus, placeat Cajetanus. Lutherum abominaris, facis hoc quidem pro tuâ pietate. Sed anti tibi sententia propter Lutherum displicent, an Lutherus propter sententias. Addamus, quæ habet Antonius Pagi Critica in Baronium præf. Nullus suâ laude fraudandus, quod tam de scriptoribus orthodoxis, quam Protestantibus intelligas velim. Ex his multi Historia & Christiana Chronologia difficultatibus expediendis in prioribus suis operibus non parum laboris insumpsere, pluraquæ primum animadvertunt, quæ hactenus alios latuerunt, quæquæ in hanc criticam corripui, & suis Auctoribus attribui. Nequæ enim existimandum, veritatem & eruditionem hereticas esse, ut periculum sit iis adharere, quæ à Viris doctis, catholicam fidem non profitentibus, accuratè scripta sunt. Quod ab his itaque laudabiliter inventum, præmittendum non fuit, imò novis argumentis confirmandum, vel eorum conjectura ad scientiam & evidentiam, quod facile sit inventis addere, quando potis fuit, revocanda. Quæ in re Origenem & Hieronymum habeo Auctores, ille in fine L. IIX. & ult. contra Celsum Christi. Relig. adversarium inquit: Scito Celsum polliceri, editurum se alium tractatum, in quo doceatur, quomodo vivere debeant, qui volunt, & possunt parere ipsius monitis; quem si non scripsit, quamvis promissum, contenti erimus ei respondisse his IIX. voluminibus. Quod si & illud opus ab eo profectum est, quæsitum ad me mitto, ut & ad id respondeamus, quicquid Veritatis Pater suggererit, & resellamus mendacia; si quid autem verum admixtum fuerit, citra contentionem confirmabimus nostro testimonio. Hieronymus verò apol. adversus Rufinum: Vir, inquit, doctissimus Eusebius, doctissimum dixi non Catholicum, ne more solito mihi & in hoc calumniarum struas. Ludov. Vives L.V. de tradendis disciplinis: non erubescet homo sciendi cupidus à quocunque discere, qui docere quid possit, cur hominem ab homine pudeat discere, cum humanum genus multa à belluis discere non pudeat --- Scriptores itaque tam Catholici, quam extra Ecclesia castra militantes multas nobis emendationes suppeditarunt, licet in variis annalium locis aliquod nobis spicilegium, in aliis verò integram messem reliquerunt. Conferatur Th. Raynaudus in disp. de bicipiti Ecclesia, annexa Ej. Tr. de Corona aureâ super mitram R. P. ubi post adductas Cyrilli, Origenis ac Giselberti in eandem sententiam auctoritates p. 182. concludit: Anno, non omnia hereticorum dicta sordere errore, sicut nequæ omnia malorum opera insciantur malitia.

Tantum hac vice,

S. D. G.





the scale towards document

iprudentes & cordati fatali poculo ebibitò Spi-  
cumiacti sunt, minimè mirum, si miser unicus  
commune malum effugere non potuit. A dolo  
viderim, à levitate & temeritate minimè.

indices Librorum Prohibito-  
expurgandorum Pontificii adi-  
ti prohibeant & præcludant,  
amqvè errorum expurgatio-  
nediant apud plurimos, qvos-  
en ex cœtu suo ad prohiben-  
tati aditum, & instituendam  
errorum papalium expurga-  
vel per ipsos hos indices inscii  
it.

dubium nullum sit, quin in hunc usque di-  
a longe veritatis testimonia in scriptis  
iorum exstitura essent, nisi indices Libro-  
& expurgandorum (qui exhibent Regu-  
Pontificis R. juxta decretum Concilii Tri-  
& XXV. à Congregatione Indicis, seu Viris  
r destinatis confectam, omnibusque Pon-  
fismarum comminatione pœnarum præ-  
um quam omnes cujuscunqve ætatis, au-  
tis libri, Romanæ Curiaë placitis contrarii,  
enitus, vel expurgantur, i. e. vel adjectis no-  
vel immutatione, subtractione, additione  
tur, ad stabiliendos errores Papisticos &

C

& ap-